

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0265

0263

0269

0259

0274

0254

0314

0214

0364

0164

0764

253

peregrinos, vehementer doluit, et commota sunt viscera ejus super re tam iniqua. Instante igitur festivitate paschali cum aliis peregrinis templum dominici sepulchri ingressus est ad celebrandum vigiliis sanctissimae noctis, ut autem quietius et attentius divinis possit insistere laudibus, retraxit se ad secretiorem templi angelum, et ibi sobria mente turbato spiritu cum multis lacrymis oravit, dicens: Usque quo Domine Deus sancta tua conculcantur, sacerdotes tui spernuntur, fideles tui opprimuntur et peregrini tui deridentur et vexantur? Attende Domine, et fac, et libera terram, quam dedisti patribus meis, et civitatem hanc, quam doctrinis et miraculis tu semper illustrasti pretiosoque sanguine et cruce sanctificasti, ac gloriosissima resurrectione toti mundo celeberrimam esse demonstrasti. Haec autem et similia vir sanctus dicens fatigatis membris paululum indulgere volens in pavimento resedit et caput ad parietem reclinavit sicque dormire coepit corpore, sed animo vigilantissimo attentus mansit in oratione Domini. Et ecce vidit, quod Dominus Jesus de suo sepulchro splendidus processit ad eumque respiciens dixit: Surge Petre et festinus Romam proficiscere, die Urbano romano pontifici, hoc dixit Dominus: Sicut olim ex oriente illustravi occidentem, sic nunc ex occidente illustrabo orientem et civitatem Jerusalem propter nomen meum magnum, et sepulchrum meum sanctum occidentalibus dabo, ut mihi serviant et incredulis me manifestent et loca sancta redemptionis humani generis venerentur. Et his dictis visio disparuit. Petrus autem, illi non incredulus oraculo, reversus in Europam curiam romanam intravit et audacter adiens Papam Urbanum II. ei legationem sibi injunctam simpliciter enarravit. Aperuit autem Dominus pontifici sensum, et intellexit, rem esse a Deo, statimque concilium generale apud montem clarum Alverniae convocavit anno Domini MXCIV. et expeditionem in Sarracenos pro Jerusalem recuperanda persuasit et trecenta hominum millia cruce signavit et signatum exercitum beatissimae Virgini Mariae dedicavit statuitque, ut horae de beata Maria Virgine a clericis cottidie exsolverentur, quatenus protectrix exercitus sui fieret. Petro autem eremitae credidit bullas papales misitque eum ad reges et principes occidentis, ut in succursum terrae

Ende

Anfang